

Joanni Jacobo Mascoius  
 Viro Illustri  
 S. P. D.

Theophilus Sigefridus Bayer

Quamquam inter nos haud sane frequentes commercia  
 solent litterae, propter hanc locorum, quibus dis-  
 iuncti sumus, vastitatem, tamen neque tuae  
 laudes ex animo meo exciderunt, quae me magis  
 delectant, reputantem praeterea meum, in tua  
 summa existimatione communis patriae glori-  
 am versari, neque persuaderi mihi possit,  
 ob veterem tuam in me benevolentiam, postre-  
 mo etiam eximio beneficio honorificentissi-  
 mac commendationis meae mihi cognitam,  
 huius memoriam hominis apud te obliuione  
 deletam esse.

debetam esse. Ex Clannero, non de me solum,  
 sed de uniuersa Academia, quae uoles, recognosces,  
 ut hoc quidem aduersus te officio supersedere  
 me oporteat. Tomus quintus Commentariorum  
 nondum sub praete est. In eo de Conuersioni-  
 bus rerum Scythicarum temporibus Mithri-  
 datis dicam, gradumque proferam contra  
 eruditorum Suecorum hypotheses, quibus,  
 parum abest, quin omnes omnium gentium  
 historias uetustas labefactarent. Sentimnt  
 iam quid petam, iam contra principia aci-  
 em instruunt: ego, ut institui, sic incor-  
 ruptam rerum gestarum memoriam defen-  
 dam, diuinationes nulla veri similitudine  
 suffultas, proferam ex arcano alias post  
 alias, sunt enim infinitae, ut, quando  
 ex quibus aberrationibus casibusque

natae factaeque sint, explicatum fuerit, per  
 se ipsae corruant. Sunt mihi amicissimi viri  
 in Suecia, quos et magni facio et pro eorum  
 in me meritis beneuolentiaque colo. Tamen  
 cum ad Augusteam aetatem peruenero, agen-  
 dumque mihi deinceps erit de Getis, qui magnam  
 regni Russici partem tenuerunt, iam nunc  
 animo praecidens, pugnam daturus mihi, et  
 pro summa omnium opinionum suarum arce.  
 Quid faciam? cum mihi haec provincia, ad  
 ueterem harum regionum memoriam data est,  
 subeunda uidelicet erit illa certaminis alea.  
 Sed praeterea hoc tomo geographia Russiae  
 ut A. C. 948 fuit, exstat, et de nuno He-  
 giensi Praetorumque Achaicorum chrono-  
 logia, quam Isaacus Casaubonus perperam  
 constituit. Nam ego haec mea studia condire  
 soleo

Soleo Musarum elegantiorum oblectamentis.  
 Interca a me nunc editur historia regni Graecorum  
 Bactriani, et dissertationes de Scribis  
 Saxis atque Sinis veterum Graecorum Romano-  
 rumque. Vides, quibus rebus propemodum defun-  
 dus sum, quas tractare deinceps instituiam, mo-  
 lestum fortassis tibi erit, Vir Illustris, cogno-  
 scere. Quamobrem a te peto, ut meis litteris  
 non plane ab humanitate alienis facias,  
 meque et commendatissimum tibi habeas et  
 apud summos viros, amicos tuos commendare  
 non desinas. Vale. Petropoli ipfis Nonis  
 Februariis de 1700. xxxvi.